

GVLELMI BV

daei Parisiensis, de Contemptu rerum fortuitarum Libri
Tres: cum breui & erudita eorundem expositione.



Iodocus Badius Ascensius Iacobo Tufano & Ioanni
Gyo Casletano D. Gulielmi Budæi domesticis audi-
toribus, amicisq; primariis & græcæ & latinæ inter-
primos doctis. S.



T officiose & solerter fecistis viri optimi & de literis præ-
clare meriti, qui flosculos quosdam elegantiarum sermo-
nis latini in excultissimis D. Gulielmi Budæi de rerum
fortuitarum contemptu libris qui earum refertissimi
sunt, dum eos aut liberis prælegeret, aut amicis seiscitā-
tibus (vt est humanus) exponeret: aut ipsi in eosdē hor-
tos forte incidentes, sic colligendos curastis vt etiam li-
beris nostris vestræ eruditionis studiosis exhibendos concederetis. Quo
nomine nesciam, priuatim ne an publice plus vobis debeam: vtroq; enim
modo debeo q̄ plurimum. Priuatim quidem, q̄ ista eruditione meos di-
gnati estis liberos, qua nulla ad interiorum literarum traditionem effica-
cior: publice vero q̄ istoc compendio omnes facile intelligant quāta sche-
matum appositissimorum & elegantiarum non vulgariū copia sit in ipsius
Budæi nunq̄ satis nec admirati nec laudati viri compositione varia, vt
e qua si verbum vllum dempseris, aut colorem lepidum, aut elegantiam
non protritam sustuleris: vt facillimum cuiq; sit agnoscere stilo illius ac
phrasi non dicendi lucem deesse, set in plerisq; lectoribus qui sermonis
proprii virtutem ignorant, intelligendi desiderari radios, quippe qui no-
ctuarum more, vel in meridie cæcutiant. Officiose igitur fecistis qui imbe-
cillo multorum visui istas lucernas accendistis: quas ne contra præscriptū
dominicum modio superimposito occulam: preli nostri adminiculo super
candelabrum vt toti præluceant mundo, duximus ponendas. Ne tamen
qui opus ipsum emerunt se iuste querantur hoc commento ad idem redi-
mendum compelli: prius seorsum imprimendas, mox tamen vna cū ipso
opere redimprimendas curabo. Valete viri humanissimi, & instituti no-
stri rationem qualēcūq; beneuoli probate, similemque operam (si sacris istis
studijs tantū temporis iublegerere poteritis) reliquis Budæi operibus expli-
candis impendite. Ex typographia nostra ad decimum Calendas Maias.
M.D.XXVI.

Gulielmi Budæi Parisiensis de Contemptu rerum
fortuitarum Libri Tres, ad Draconem Budæum
Fratrem Præfectum Scriniis Regis sanctioribus.

LIBER PRIMVS.



Ogitanti mihi Draco frater quod
nam industriæ meæ documentum
nomini tuo dicarem (tibi enim de
bere me nonnihil ex ea ratione exi
stimabam, quā maxime in ære meo
& censu esse duco) cum in hoc ocio
vel in iis feriis potius mihi magno
pere cultis argumentum quærerem
stili reconcinnandi, quem non ne
glectu literarum, sed studiorum intempestiuitate hebesce
re iādū marcescereq; senseram, annis iam aliquot curri
culo instituto exemptis: redditę tuæ literæ scribendi ma
teriam non illę quidem vberem & copiosam mihi, sed ve
luti thema dederunt in fortunam declamitādī, nec vt ima
ginem mihi litis fingerem ex rhetorum officinis deductā
in iudiciū hominū lectorum, sed solutā legibus artis,
& propiorem simplicitati philosophicæ.

Annotata.

a Ex ea ratione. Rationem significat & calendarium se conficere opere im
pense studio literarum: existimationisq; inde quæsitæ, ob scriptorum suo
rum editionem. Qua in re lucrum factum magis suum esse cēset q̄ patri
monium a maioribus acceptum: quod in bonis externis adnumeratur, nō
in bonis animi: in quibus est literarū cognitio.

Ratio.

b In ære meo. Cicero in. xv. epistol. Multi enim anni sunt, cum ille in ære
meo est. Sensus est igitur: æquum esse censui aliquod opus meum dicare.

In ære.

c Annis iam aliquot. Significat id tempus, quod ei vacuum fuisse studio
ob inualitudinē, ex epistolis eius intelligim⁹, & negocia oborta. Dies exem
ptiles contrarij sunt intercalariis, Ciceroni in Verrē acti. tertia. & exime
re diem, & eximere tempus, Gellio, Ciceroni, & Liuiio.

Dies exē
ptiles & in
tercalares
Eximere
diē & tps.